vincuntur. In omni adversitate paciencia gradum supremum optet[a] virtutis. Tamen quia omne nimium vertitur in vicium quam admodum nimia liberalitas in vicium prodigalitatis, et nimia paciencia in vicium pusillanimitatis; igitur sanctus ille episcopus hoc cernens tamquam bonus pastor sevit in lupos et eos extimare[c] cepit. Quatuor enim viri nobiles genere, sed moribus deteriores videlicet dominus Walkare comes de duobus pontibus et dominus Hermanus eius frater milites, Henzelinus Xeline[d] et eius frater Theodericus armigeri[e] suum castrum vocatum Albistorph vi detinuerunt nolentes reddere prece nec precio non ob[f] quod ad ipsum pertinebat de iure cum solum per suum predecessorem Theodericum eis erat in pignus datum. Ista revolvens animo sanctus Petrus episcopus sciens quod licitum est vi vim repellere et pro libertate ecclesie certare usque ad mortem tamquam bonus Phinees zelando zelum legis et ecclesie katholice per suos irruit in eos de nocte et Dei nutu castrum cepit, in quo capti erant duo fratres prenominati videlicet Henzelinus Xelme et Theodericus per dominum Robertum de Sarmoise gubernatorem pro tunc[g] episcopatus Metensis et Arnoldum de ....[h] ballivum episcopatus antedicti; deinde aliud ceperunt fortalicium vocatum Stenfellum[i] de manibus dominorum Symonis de Walkare et Hermanni eius fratris. Istud castrum pertinebat ad illos de Fenestrange in quo ipsi de Beche erant recepti, sed in captione castri furtive recesserant. Postmodum aliud castrum ceperunt Hetange appellatum quod vi detinuit quidam Kilmanus Wolf appellans se episcopum Metensem sed fraudatus

a/ optz ?.
c/ extimare ?.
d/ xelme ?. Xelme?
e/ armigli
f/ olte ?.
g/ p tc
h/ loc. vac. rel. sex fere litterarum.
i/ Stenfelt ?.